dominum deterrere. Dent ergo domino quod habent cum jocunditate et hylaritate. Ex quo probatur, quod lacrime ille, quas in oraciōnibus sive in compassione proximorum offerebant, ex corde non erant. Que si aliqua videbat, que superfluitatem vel vanam gloriam sapere videbantur, zelo justicie ducta vix tacere poterat. Hinc est quod tempore quodam veniens ad claustrum quoddam religiosorum, qui de elemosinis cotidianis vivebant, ostenderunt ei sculpturas sumptuose deauratas in ecclesia sua. Que eisdem religiosis circa se stantibus numero fere XXIIIj dicebat: Ecce melius et utilius potuissetis has expensas posuisse in vestibus et victualibus vestris, quam in parietibus, et ipsas ymagines gerere in cordibus vestris. Unde cum quidam ei diceret de quadam ymagine pulchra quod ei competeret, respondit: Non habeo opus tali ymagine, quia illam in corde porto. Tanta siquidem fuerat emulatrix sanctitatis, ut sustinere non posset equanimiter, si loqueretur quis ea presente verba inutilia sive iracundie, quia statim sic dicebat: Ubi est nunc dominus. Et (quia) licet de vite ejus sanctitate multo adhuc plura dici possent, videlicet de ejus caritate, humilitate, paciencia, compassione, caritate, discrecione et misericordie operibus, que